



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Formerivs Martyr. 25. Septembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](#)

ticulo? tam horrendus est infernus, tam jucundus  
est paradiſus: breviorem vitam sequitur æternitas;  
quare ipse hujus æternitatis sine intermissione labo-  
randum. *In omnibus operibus tuis memorare novissimam tuam,*  
*& in æternum non peccabis.* Eccl.

## S. FORMERIVS Martyr.

25. Septembris.

*Spiritus Domini super me: propter  
quod unxit me, Evangelizare  
pauperibus misit me.* Luc. cap. 14.

**O**rpheum cytharæ dulcedine feras traxis-  
se fabula est; pastorem verò FORME-  
RIVM, XIV. annorum puerum, Evangelij  
in campo reperti lectione, ad audiendum o-  
mnis generis bestias commovisse, prodigiosa  
est veritas, nec audiēre tantùm avidè, sed  
& aluēre gratæ, cùm abscedentibus masculis,  
persistentes fœmellæ feræ, mulgendas se pro  
minervali præbuere, unde ex copioso lactis  
coagulo, confecti casei, divino iussu ad Cæ-  
sareæ portas à FORMERIO in pauperes, vi-  
duas, ægros distributi, famem omnibus, æ-  
gris etiam morbos abstersere. Verùm hæc ei  
ad Martyrium via fuit: famâ enim brutalis  
cōcionis didit sanctus ut præstigiator ad Ale-  
xandrum.

xandrum præsidem est deductus, cui se DEI servum professus, magum esse negavit. Illata ergo equulei tormenta, post quæ carceri inclusio, Columba de cœlo vas lacte plenum, JESU munus, intulit, cujus sumptione vires ei restauratæ & XL fidelium unâ vincitorum, fames est sedata, sed & divinâ virtute mediâ nocte diffissus carceris murus exitum captivis aperuit; solus autem FORMERIUS Martyrii aviditate permanxit, cujus etiam laudem integro quamvis corpore obtinuit, cum præsidis jussu à duobus sacrificulis ardentí camino inclusus, extinctâ cœlitùs flammâ velut in folio sedebat DEI decantans laudes, magna circum cœlestium spirituum velut legione excubante, quæ viætricem morientis animam ad cœlestes triumphos deducebant, illæso corpore Martyris Christianis ad sepulturam & venerationem relicto. *Martyrol. Hisp.*  
*Thamay.*

## MEDITATIO.

*Quomodo pauperes Evangelizentur.*

I. **D**iscite Viri Apostolici quâ ratione debeatis pauperes divinis præceptis informare. Hoc munus parvum coram hominibus, magnum coram Deo

O

Deo

Deo, dignum certè in quo studium vestrum invigilet; placet Deo, vobisque & pauperibus derelictis prodest. Quid statis otiosi? efficite ut Deus ab omnibus cognoscatur. *Ah Domine! mundus, te diligit quia non tu cognoscit: qui enim cognoscit te, diligit te.* August.

2. Patres familias date operam ut domestici vestri divinis præceptis imbuantur. Jubete eos, ea in loca conferre sese, ubi Evangelica præcepta exponuntur; Vosmetipsi docete eos; siquidem verba vestra altius eorum mentibus inhærebunt. Qui majori virtute prædicti erunt, eos magis amate. Hero gloriosum est animam servi Christo lucrifacere. *Famulorum [inquit Chrysologus] ne te pudeat, communis est enim & illis, nobis natura.*

3: Si per vitæ conditionem aliorum conversioni minus vacare possis, eorum tamen conversionem precibus à Deo postula. Fortè preces tuæ plures adjungent ad Christum, quam operariorum Evangelicorum labores. Rigant illi quidem, sed precibus tuis Deus incrementum dabit. Quomodo adhuc ad aliorum conversionem incubuisti? Erubesce. Si aliorum salutem curare non possis, noli certè tuam negligere;

